✠

Hispalen. decimarum.

SI Præsens quæstio est inter Reuerendissimum Abbatem de Oliuares, & Capitulum Hispalense, vt ex breuissima facti serie transmissa possit argui; eaque pendet super prætensione, quàm dictum Capitulum habeat exigendi decimas loco Archiepiscopi, facillima videtur resolutio dubij ad fauorem D. Abbatis.

Eatenus enim fundata est intentio Capituli quatenus in Diœcesi Hispalensi, in qua Parochiæ non sunt distinctæ, decimæ debentur Archiepiscopo, per text. in cap. 1. §. Has vero decimas 16. quæst. 7. & in cap. fin. de Paroch. & tradit Abb. in cap. cum contingat, num. 7. de decim. Rebuff. eod. tract. quæst. 7. num. 9. alijsque relatis addit. ad Burat. decis. 402. num. 6. & in specie, quod in Diœcesi Hispalensi decimæ sint debitæ Archiepiscopo, tanquã vniuersali Parocho à quo ministerio Vicariorum exercetur animarum cura, dixit Rot. decis. 22. num. 1. & decis. 120. num. 10. p. 7. recent.

Capitulum vero gerere vicem Archiepiscopi in decimarum exactione ratione administrationis, quàm habet bonorum, & iurium Archiepiscopatus pluries dixit Rot. in similibus causis, & signanter in citata decis. 22. num. 6. cum seqq. & 120. p. 7. num. 10. recent. & decis. 302. num. 1. p. 9. recent.

At hæc fundamentalis ratio, quæ assistit Capitulo in cæteris locis Diœcesis Hispalensis, cessat procul omni dubio respectu locorum Comitatus de Oliuares, Albaida, & S. Lucar, postquam ea simul cum alijs annexis, & sub temporali dominio, & iurisdictione Comitis de Oliuares, pro tempore comprehensis per felicis recordationis Vrban. VIII. ann. 1623. separata fuerunt, & penitus

dismembrata à Diœcesi Hispalc. & vna cum omnibus Ecclesijs, & Parochialibus, Hospitalibus, Monasterijs, & locis pijs, ipsorumque locorum incolis, & habitatoribus vtriusque sexus quomodolibet inibi commorantibus, assignata fuerunt Ecclesiæ maiori, tunc erectæ in Collegiatam insignem pro particulari, proprio, & separato eius territorio; & cum translatione in eandem Ecclesiam omnium, & quorumcumque iurium, & liberatione omnimoda à quacumque iurisdictione Archiepiscopi Hispalen. & aliorum quorumuis, ac in specie à solutione, ac præstatione quarumcunque contributionum, taxarum, impositionum, & aliorum iurium ratione, subventionis, & legis Diœcesanæ, ac visitationis etiam generalis eisdem Ordinarijs, seu eorum officialibus, Vicarijs, & Ministris, debitorum, seu aliàs quomodolibet solui, & præstari solitorum, factæ etiam speciali mentione iurium decimalium, necnon constituto Abbate vero, & proprio dictorum locorum Ordinario, cum plenissima iurisdictione quasi Episcopali, vt latius videri potest in Breui desuper expedito.

Hinc etenim resultat Archiepiscopum Hispalensem non esse amplius vniuersalem Parochum istorum locorum, cum non sint amplius, nec in Diœcesi, nec de Diœcesi, quamuis alias sita sint intra Diœcesis limites vt dicunt Geminian. in cap. cum Episcopus, num. 4. de off. ordin. in 6. & in cap. 2. num. 19. de const. Lother. de re beneficiar. lib. 1. quæst. 24. n. 177. Gratian. discept. 212. num. 33. & dixit Rot. decis. 207. num. 5. in fin. part. 2. diuers. & decis. 42. num. 2. & 6. & decis. 65. num. 3. apud Tambur. de iur. Abbat. tom. 3. & cor. Andr. decis. 54. n. 2. & 5. & in Mõtis Casinen. iurisdict. 27. Martij 1651. §. Ex quibus cor. bon. mem. Bich.

Proinde nequaquam prætendi amplius possunt ab ipso, seu à Capitulo Vicario nomine decimæ ex istis locis, cum eæ vt supra dixi, spectent ad Episcopum, & modo

per-

pertineant ad D. Abbatem, ex vi tàm amplæ ſeparationis territorij, & translationis totius iuriſdictionis, quaſi Epiſcopalis in ipſum, per quam euaſit verus Ordinarius, & Diœceſanus, vt vltra ſuperius allegatos dicit, text. in cap. dudũ, & ibi gl. verb. De iure communi, de decim. & firmauit Rot. cor. Coccin. deciſ. 38. n. 1. & deciſ. 254. n. 4. & in Marſicenſ. iuriſdict. 12. Februar. 1642. §. Non obſtat, in qua cor. bon. memor. Bich. & in Toletan. iuriſdict. 10. Iun. 1651. §. 3. ex perceptione decimarum cor. Reuerendiſsimo Taya, & in puncto, quod vbi ſeparatur territorium, ab aliqua Diœceſi, cum translatione iuriſdictionis, quaſi Epiſcopalis in Prælatum inferiorem, decimæ quæ prius erant debitæ Epiſcopo ſpectent, ad ipſum Prælatum inferiorem, dixit Rot. in ead. Tolet. iuriſdict. 9. Maij 1659. §. Quanto hoc ipſum apertius demonſtratur, coram Reuerendiſsimo Beuilacqua.

Et ita in maxima duarum horarum anguſtia, cum longius tempus datum non fuerit de iure cenſeo reſpõdendum eſſe.

Proſper Bottinus Sacr. Conſiſtor. Aduocatus.

✠

Hispalen. decimarum.

ILlustrissime, & Reuerendissime Domine, Cura animarum existentium in tota ditione de Oliuares spectabat prius, ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Archiepiscopum Hispalen. ex dispositione iuris communis, iuxta quod Cura animarum dicitur principaliter in Ordinario residere, licet singulis Rectoribus singulas Parochias regendas, & administrandas attribuat, iuxta text. in cap. regenda causa 10. quæst. 1. Loth. de re benefic. lib. 1. q. 9. num. 79. & seqq. Cum hac tamen differentia, quod in alijs Diœcesibus, regulariter Parochiæ distinctæ singulis Sacerdotibus assignentur in titulum; at in Hispalensi non ad est hæc distinctio, & solus Archiepiscopus dicitur Parochus, & exercitium Curæ administratur, per Vicarios ab eo pro tempore deputatos, Rot. in recent. decis. 22. n. 1. & decis. 120. n. 9. p. 7. & decis. 302. in princip. p. 9.

Hæc autem Cura animarum, cum dubitari non possit, quin fuerit translata in Illustrissimum, & Reuerendissimum Abbatem de Oliuares, dum non solum eius persona, & Ecclesia, verũ etiam populus, ab omnimoda iurisdictione Archiepiscopi liberatur, & eidem Abbati attribuitur, Lother. de re beneficiar. lib. 1. q. 24. n. 112. Ita dicitur in eundem translatum ius percipiendi decimas, quod prius erat penes Archiepiscopum, licet mediante translatione, alicuius rei temporalis, nõ dicantur translatæ decimæ, etiamsi additæ fuerint clausulæ vniuersales, nimirum, & omnia iura, quia decimæ sunt spirituales, tamen secus est, quando in simul transfertur aliquod ius spirituale, & temporale, vt distinguit Innocent. in cap. ex litteris, n. 1. in fin. de iure patronat. Rot.

in decis.402. in princip.coram bon.mem. Merlin.& in Aſtoricen.decimar. 1.Iulij 1652.cor.bon.mem.Bich.§. Aliorum.

Hæc autem à fortiori procedũt in caſu noſtro in quo Abbatia virtute Breuis conſtituitur in ſtatu nullius Diœcéſis,& perconſequens dici non poſsit, nec in Diœceſi, nec de Diœceſi, & omnia iura, quæ erant penes Archiepiſcopũ fuerunt ipſi Abbati attributa, Rot.in deciſ. 234. per tot.& præſertim,n.6.p. 4.recent. Loth. de re benef. lib.1.q.24.n.122.& 155.

Licet ad effectum, vt Archiepiſcopus non poſsit prætendere decimas,ſufficeret,quod incolæ de Oliuates fuerint abſoluti à lege Diœceſana,à qua prouenit talis obligatio, Rot.in deciſ.21. n. 12. p.9. recent. Cumque talis exemptio emanauerit, ad fauorem eiuſdem Abbatis, nec Summus Pontifex, vllo pacto intellexerit liberare ipſosmet incolas, ſequitur omne ius, tàm repectu fori contentioſi, & pœnitentialis, quàm emolumentorum fuiſſe translatum in eundem Abbatem, vt in ſimilibus terminis aduertit Caſtrenſ.conſ. 127.n.3 lib.2. Decian. conſ.43.num.7. lib.7. Merlin. controu.1.cap.99.num. 15.23.& 32.

Carolus de Ricijs Aduocatus.

✠

Hiſpalen. decimarum.

ILluſtriſsime, & Reuerendiſsime Domine. Dixi in præcedenti informatione, quod per translationem, ſeu conceſsionem iurium continentium aliquod ſpirituale, & temporale in ſimul veniunt etiam decimæ, abſque alia expreſsione, ex doctrina Innocent. in cap. ex litteris, de iur. patron. num. 1. in fin. quibus addo Ioann. Andr. ibid. num. 3. verſ. Dixit etiam, Hoſtien. numer. 5. verſ. Fatemur tamen, Butr. num. 6. verſ. Per prædicta, Reuerendiſsimus Fagnanus, num. 9.

Hæc autem, abſque difficultate debent habere locũ in caſu noſtro, in quo non ſolum iura ſpiritualia fuerunt ſeparata à Diœceſi Hiſpalenſi, verum etiam addita repetiuntur, infra prædicta verba: Necnon à ſolutione, ac præſtatione quarumcumque cõtributionum, taxarum, impoſitionum, & aliorum iurium ratione ſubventionis, & legis Diœceſanæ, & viſitationis etiam vniuerſalis, eiſdem Ordinarijs, ſeu eorum officialibus, Vicarijs, & Miniſtris debitorum, ſeu alias quomodolibet ſolui, & præſtari ſolitorum penitùs, & omnino, ac totaliter in omnibus, & per omnia perpetuo, & in perpetuum eximimus, ac liberamus. Verba enim iſta adeo vniuerſalia, & prægnantia nullo pacto poſſunt excludere decimas, aduertendo inter cætera, quod eximuntur ab his, quæ proueniunt à lege Diœceſana, prout proueniunt decimæ, Rot. in deciſ. 21. p. 9. recent.

Hinc ſequitur nihil obſtare Sacrum Concilium Tridẽtinum, Seſſ. 21. cap. 4. de reformat. vbi firmatur, quod decimæ non debentur Eccleſiæ filiali de nouo erectæ, niſi fuerit expreſſe dictum: quia hæc difficultas diſtinctione tollitur; nam ſi transfertur aliquod ius ſpirituale, puta Parochialitatis, & diſponens, vel nihil dicit de decimis,

 vel

vel addit verba vniuersalia, & tunc sine dubio illæ dicuntur translatæ iuxta auctoritatem Innoc. & aliorum, quo superius citauimus. Si vero translato iure spirituali apparet, vel tacite, vel expresse decretum, quod decimæ non veniant, & tunc sine dubio illę remanēt exclusæ, & habet locum dispositio Concilij, vt manifestè colligitur ex illius contextu, nam postquam in casibus ibi præscriptis decreuit, vt erigantur nouæ Parochiæ, subdit, vt arbitrio Episcopi assignetur aliqua quantitas ex fructibus ad Ecclesiam Matricem, quomodocumque pertinentibus, & sic vel ex decimis, vel aliunde, & perconsequens dum assignatio decimarum, vel in toto, vel in parte pendet ab arbitrio Episcopi, consequens est illas vna cum iure Parochialitatis non fuisse translatas ipso iure. Rot. in decis. 497. num. 6. part. 4. recent. & latè idem Reuerendissimus Fagnan. in cap. cum contingat, num. 49. de decim. cum plurib. seqq. & pręsertim. num. 51. vers. Nō obstant decis. vbi aduertit quod præscindendo à dispositione Concilij est magis communis opinio, Calderin. in cons. 2. de decim. firmantis quod separato iure Parochialitatis dicuntur, & separatæ decimæ.

Ex prædictis colligi potest nullo pacto dictam dispositionem Concilij, & alia iura loquentia, de erectione nouæ Parochialis intra terminos antiquæ applicari posse casui nostro, loquuntur enim de dismembratione facienda ab Episcopis, quibus hoc ius non competit nisi vrgente necessitate, & cum pluribus limitationibus, vt aduertit Rot. in decis. 6. cor. Eminentissimo Domino meo Cardinali Otthobono, & alibi passim, & in quibus de necessitate requiritur, vt aliquid reseruetur Ecclesiæ Matrici in signum subiectionis. Lotther. de re beneficiar. libr. 1. quæst. 21. numer. 51. at nos versamur in omnimoda separatione territorij, & Diœcesis, cum clausulis amplissimis, & sine aliqua subiectione non per

Epis-

Episcopum concurrente necessitate, sed per Summum Pontificem voluntarie facta. Et perconsequens de vna ad aliam inferri non potest, vt in terminis decimarum firmat Tindarus de decim. numer. 7. & sic nullo pacto applicari possunt ea, quæ de decimarum translatione loquuntur in casu, in quo Ecclesia de nouo erecta non habet aliam dotem, quia quatenus essent vera loquuntur de erectione pariter filialis Ecclesiæ facta per Episcopum.

Carolus de Ricijs Aduocatus.

✠

Hispalen. decimarum.

DIebus præteritis ad instantiam amici, & Domini mei, cui plurimum debeo, breuissime, quantum concessit angustia temporis, & carentia scripturarum, præsertim integri priuilegij Apostolici, respondi ad fauorem Reuerendissimi Abbatis Oliuarens. nullo modo fundatam esse prætensionem Hispalensis Capituli.

Modo perspecto dicti priuilegij per extensum dati tenore, & visis rationibus pro vtraque parte deductis nedum persisto in eadem opinione, sed censeo ius Ecclesiæ Oliuarien. esse vndequaque clarum tam circa exemptionem ab onere soluendi decimas præfato Capitulo, quam circa earundem decimarum exactionem, & vltra fundamenta iuridica, plurimum sane mouet, auctoritas tot insignium vniuersitatum, & tot virorum primæ notæ, à quibus emanarunt plura doctissima responsa, quæ hanc veritatem manifestissimam reddunt.

Et quoad primum, vltra deducta in prioribus scriptis, quod Capitulum eatenus fundari possit suam intentionem, quatenus gerat vices Archiepiscopi, cui decimæ sunt debitæ tanquam vniuersali Parocho, vt contingit in Diœcesi Hispalen. in qua Parochiæ non sunt distinctæ, ponderanda est pars illa supradicti priuilegij, nu. 39. cum tribus seqq. in qua recensetur curam animarum prius fuisse penes Capitulum Ecclesiæ Hispalensis, à quo exercebatur ministerio Vicarij adnutum amouilis, cum certo salario, & determinatur, quod deinceps exerceri debeat per vnum ex Canonicis, seu Portionarijs Ecclesiæ in Collegiatam erectæ per Abbatem maiorem quot annis eligendum, ipseque curam exercere omniaque Parochialia onera subire teneatur, & ratione laboris, & exercitij vltra redditus, & emolumenta sibi ratione suorum Canonicatus, & Præbendæ, vel portionis obuenientia omnia illa, quæ proueniunt ex iuribus Parochialibus habere debeat absque vlla cuiuscumque alterius participatione, cum liberatione Capituli Hispalen. ab onere soluendi, & assignandi portionem solitam.

Hinc etenim clarissime apparet, quod dum prius habitualis cura erat penes Capitulum Hispalens. vti deputatum ab Archiepiscopo, ea fuit vigore dicti priuilegij in totum ab ea adempta, & translata in Abbatem maiorē Ecclesiæ nouiter erectæ, & perconsequens cessat omne ius eiusdem Capituli circa decimarum perceptionem, cum hoc sequatur Paro-

chiam,& competat illi penes quem residet animarum cura, vt latè pro-
bat Lother.de re benefic.lib.1.quæst.20.num.73.& 74. vbi quod eate-
nus Capitulum suam intentionem fundat quatenus habet curã habitua-
lem,quam exercet ministerio Vicarij ab eo deputati, & idem fuit dictũ
cor.Greg.decis.174.n.3.& per addit.n.8.

Nec obstat principalis ratio pro parte Capituli adducta, quod in pri-
uilegio non legatur expressa mentio de translatione decimarum, quæ
proinde non posit intelligi facta præsertim post Sacrũ Concilium Tri-
dent.sess.11.de reform.cap.4.quo attento noua erectio Ecclesiæ in Pa-
rochialem non tribuit ius decimandi in præiudicium antiquæ nisi fuerit
expresse concessum,

Dupliciter enim respondetur. Primo,ex facto negãdo, scilicèt,quod
in priuilegio deficiat expressa decimarum mentio,dum num. 35. (quæ
particula deficiebat in summario prius communicato) legitur assigna-
tas fuisse pro dote Ecclesiæ nouiter erectæ,omnes,& singulas, res, pro-
prietates,bona,& iura,& omnesque fructus redditus, & prouentus,siue
in decimis,siue in alijs consistant.

Secundo,cessat penitus obiectum,ex disparitate terminorum, cum
Sacr.Concil.loquatur de erectione nouæ Ecclesiæ Parochialis intra li-
mites alterius innouando,text.in cap.ad Audiẽtiam el 1.de Eccles.ædi-
ficand.in quo casu Ecclesia sic erecta dicitur filialis respectu alterius, in-
tra cuius limites existit,quæ remanet matrix, & propterea præsentatio
Rectoris ad eandem matricem spectat,vt dicitur in eod.cap.ad Audien-
tiam,& est commun. DD. opinio.

Et nihilominus etiam in isto casu grauissima fuit quæstio penes DD.
propter verba eiusdem textus obuentiones Ecclesiasticas percepturum
scilicet,intelligerentur,& de omnibus decimis,tàm personalibus,quàm
prædialibus,& admodum variæ fuerunt opiniones, cũ Bernardus glo-
sator senserit non venire prædiales, ex quo Papa si de illis intellexisset
expresisset,quam etiam tenuit Ioan.Andr.in addit. ad Speculator. tit.
decim.

Contrariam vero sententiam secutus fuit aduersus patrem Ioan.Cal-
derin. filius adoptiuus motus ex eo,quod de iure Parochus eo ipso, quod
habet Parochiam limitatam debet consequi omnes redditus spiritua-
les,qui proueniunt ex prædijs intra Parochiam sitis, quam rationem di-
cit esse inconuencibilem,Abb.in eod.cap.ad Audientiam, num.14.et
demq; opinioni se subscripserunt Butr.Zabarell.Collect.& cæteri mo-
derniores,eandemque amplexa fuit Rot.in pluribus decisionibus,& si-
nanter in vna Mediolanensi decimar.de Cailatio, cor. Andr. inter i

pressas decis. 59. num. 6. in qua referuntur antiquiores, & firmatur, quod statim facta dismembratione Ecclesia nouiter erecta fundat intentionē sub decimis intra suos limites, & aduersus matricem.

Et licet inspecto iure nouissimo Concil. Tridentin. & perpensis verbis illis: Competens assignetur portio arbitrio Episcopi tenenda sit Hodie opinio Ioann. Andr. cum verbum illud assignetur vti quid facti, & requirens hominis ministerium excludat translationem omnium decimarum ipso iure, & denotet, quod eæ tantum decimæ veniant, quæ ab Episcopo fuerint assignatæ, vt latissimè perpensis antiquis opinionibus concludit Illustrissimus D. Fagnan. in cap. cum contingat, nu. 43. cum seqq. de decim. dicens num. 51. in fin. ita declarasse Sacram Congregationem anno 1617. in ead. causa Mediolanen. decimar. de Carlatio, ad quam Rot. post prædictam decisionem remisit discutionem articuli.

Hoc vt dixi, procedit in terminis erectionis Ecclesiæ Parochialis intra limites alterius cum hac qualitate, quod sit filialis manente altera matrice, penes quam ideo remanent, tàm præsentatio Rectoris, quam aliæ prærrogatiuæ, vt expressæ dicitur in eodem cap. ad Audientiam, de Ecclesi. ædificand. ibi. Ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ maioris instituos, & infr. prouidens tamen, vt competens in ea honor pro facultate loci Matrici Ecclesiæ seruetur.

Et ratio fundamentalis, quod decimæ prædiales remaneāt penes matricem est superioritas, & dominium, quod eadem Ecclesia Matrix supra filialem retinet, vt dixit Rot. in Mediolanen. decimar. de Vanussio 12. Ianuar. 1628. coram Pirouan. & in Nouarien. decim. 1. Decemb. 1634. cor. Cardin. Fabricio Verospio, & in Florentin. decimar. 29. Iun. 1635. cor. eod. quæ est apud Posth. de manut. decis. 631. n. 3. & in Cracouien. decimar. 26. Maij 1655. coram Reuerendissimo Verosp. cum etenim filialis non eligatur nisi in adiutorium Matricis, non est æquum, quod habeat omnes decimas prædiales in præiudicium alterius, nisi expresse fuerint concessæ, vt ponderant Ioann. Andr. & alij superius relati.

In casu autem isto Papa separauit omnino territorium Oliuarum, ab Hispalensi, & alia quacumque Diœcesi, illudque assignauit pro Diœcesi propria, separata, & independenti Ecclesiæ nouiter erectæ, vnde cessauit omnis titulus, omne dominium, & omnis superioritas, qua prius Archiepiscopus Hispalens. habebat in hisce locis; vt præter allegatos in præterita firmauit Rot. in Astoricens. seu nullius iurisdict. 9. Iul. 1654. coram Reuerendissimo Cerro Decano, & 4. Iul. 1655. cor. Reuerendissim. D. Celso, & in puncto, quod post diuisionem Diœcesis auctoritate Apostolica factam, titulus antiqui Episcopi reductus fuerit ad non titulum, &

cessat

cessat omne ius exigendi aliquos fructus, probat Solorz. de iure Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 5. n. 48. adducens extrauagantē Saluator de præbend. in qua satis clarè hoc determinatur.

Alias enim sequeretur, quod si Capitulum aduersarium adhuc exigere posset decimas ex istis locis haberet super eis dominium, & curam habitualem, cum hoc sit potissimum signum, vt dixit Rot. decis. 153. num. 2. ad med. part. 2. recent. quod esset directè contrarium supradictæ separationi territorij Oliuaren. & translationi, tàm omnimodæ iurisdictionis, quasi Episcopalis, quàm curæ animarum penes Abbatem, & quod Capitulum etiam vinctum cum Episcopo non possit prætendere decimas in concursu cum vero Parocho, dixit Rot. decis. 202. num. 2. & 3. & 260. num. 2. part. 4. recent. & in Caputan. decimar. 26. Iun. 1647. cor. Reuerendissim. Terracinen. vbi quod etiam Episcopus habet resistentiam iuris in concursu cum Parocho habente Parochiam distinctam.

Quo vero ad secundu fuisse, scilicet, decimādi translatū in Reuerendissimum Abbatem nulla potest esse difficultas, non solum quia vt est dictum; inter alia, quæ specificata fuerunt in assignatione dotis legitur facta expressa mentio de decimis, verum etiam quia in eundem Abbatem translata fuit omnimoda animarum cura exercenda mediante Vicario per eum quot annis eligendo, vnde namque sequitur, quod ipse Dominus Abbas sit propriè Rector, & Parochus, & ad eum spectent omnes decimæ, vt in fortioribus terminis de Prælato exercente curam per medium Vicarij etiam perpetui ex communi DD. sententia dixit Rot. penes Crescent. decis. 2. num. 3. de decim. Moedan. decis. 5. num. 1. cum seqq. eod. tit. Veral. decis. 239. per tot. part. 3. & decis. 153. nu. 2. p. 2. recent. & comprobat Lother. de re benefic. lib. 1. q. 20. n. 73. & 74.

Nec obstat Gratian. discept. 571. in contrarium allegatus, quia loquitur in diuersis terminis nempe de simplici erectione Collegiatæ cum expressa clausula sine alterius preiudicio, quę tanquam reseruata firmat ius Ecclesiæ matricis in omnibus non expressis, & in hac clausula quæ deficit in casu nostro totum fundamentum consistit, licet etiam si adesset parum operaretur, dum ita euidenter ex expressis in Bulla constat de voluntate Papæ, vt plene in eisdem terminis fuit dictum cor. Seraphin. decis. 1445. per tot.

Prosper Bottinus Sacr. Consistor. Aduocatus.